

## PRAEFATIO.

4  
Graecia ducitur adolescentulis, quam plurimos habere amatores. Nulla Lacedaemoni tam est nobilis vidua, quae non ad scenam eat mercede conducta. Magnis in laudibus tota fuit Graecia, victorem Olympiae citari. In scenam vero prodire, et populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini. Quae omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur. Contra ea pleraque nostris moribus sunt decora, quae apud illos turpia putantur. Quem enim Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium? aut cuius materfamilias non primum locum tenet aedium, atque in celebritate versatur? quod multo fit aliter in Graecia. Nam neque in conuiuium adhibetur, nisi propinquorum: neque sedet nisi in interiore parte aedium, quae *gynaeconitis* appellatur, quo nemo adcedit, nisi propinqua cognatione coniunctus. Sed plura persequi tum magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quae exorsus sum. Quare ad propositum veniemus, et in hoc exponemus libro de vita *excellentium Imperatorum*.

I.

### MILTIADES.

**I.** Miltiades, Cimonis filius Atheniensis, quum et antiquitate generis, et gloria maiorum,  
rum,